





*Vol. 1. 8*  
8  
Q. D. B. V.  
DISPVATIO PRIMA  
DE

# PHILOSOPHIA POSSIBILIVM

QVAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE  
PHILOSOPHICA  
IN ALMA VITEMBERGENSI  
PRAESIDE

M. IOANNE GABRIELE  
KINDLERO

VISM. MEGAPOLIT.  
AD D. X. SEPT. M DCC XXVII.  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SISTIT AC SVBICIT

IOANNES KRAGIVS

HÖRVPO-CIMBER.  
S. S. THEOL. CVLT.

VITEMBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE

1772

DISSERTATIO  
DE

THE OSOPHIA  
POSSIBILIVM

CONSISTENTE AMPLISSIMA FACULTATE  
PHILOSOPHICA  
IN ANNO MDCCLXXII  
PRÆSIDE

M. JOHANNI GABRIELE  
KINDLERO

IOHANNES BRAGIUS

ALTEMBURGÆ PUBLI. VNI. A. G. L. P. R. S. T. I. T. U. T. I. C. A. E.






Q. D. E. V.

DE

# PHILOSOPHIA POSSIBILIVM.

§. I.



**S**I magnas et arduas istas controuersias, quae nostra memoria inter praestantissimos philosophos agitatae, nec huedum sopitae sunt, in considerationem uocamus, quidque de iis sentiendum aut statuendum, cogitamus, facile patet, non ultimum locum in uera et legitima diiudicatione earundem sibi uindicare, idearum et notionum uniuersalium distinctam et accuratam euolutionem, determinatam significationem, sobriam denique et maxime propriam explicationem et applicationem. Vti enim hae instar principiorum sunt, a quibus omnis nostra in rebus humanis cognitio non solum oritur, sed et dirigitur et perficitur; ita etiam ad ea primo loco attendere, haecque an recte sese

A 2

ha-

habeant, sollicitè examinare debemus. Hoc, si negligitur, noli mirari, quod tantae, etiam inter eruditissimos quosque, oriantur concertationes, quae, si ad uiuum refecantur, in meras logomachias abeunt. Absit, ut omnes et singulas hodiernum agitates controuersias ad nudas de uerbis et uocibus digladiationes referam; hoc tamen dissimulare non debeo, quod plurimae fontem ac originem suam naetae fuerint ex uaria, uaga et indeterminata notionum uniuersalium, de quibus transcendentalis scientiae doctores exponunt, significatione, explicatione et applicatione. Quicquid enim de possibili omnium rerum in mundo nexu; de necessitate euentuum uel hypothetica, uel absoluta; de contingentia huius mundi, et ex ea deducto argumento pro existentia diuina; de natura denique rerum simplicium atque compositarum; hactenus, non sine magno animorum motu, disputatum fuit, si huc referre uelis, neque in merita tantorum uirorum, neque etiam in ueritatem ipsam iniurius eris. Nostri impraesentiarum institui non est, ire per singula, atque ostendere, quomodo, modo ab hac, modo ab altera, parte uera ac genuina notionis uniuersalis significatio, in tractandis controuersis, neglecta sit; sed placuit in determinanda uera possibilium notione subsistere, quidque de iis, sanae rationis duce, enunciare ac disputare liceat, paucis inuestigare ac indicare. Notum quippe est, quam uarie, non solum de uero significato possibilium; sed etiam de rebus possibilibus ipsis, tam inter ueteres, quam inter recentiores Philosophos, fuerit disputatum, ita, ut parum absit, quin tota haec doctrina meris ambiguitatibus, difficultatibus ac controuersis fuerit inuoluta et obfuscata. Alii enim, possibile aliquid esse, plane negarunt; alii, possibile et actuale pro uno eodemque habuerunt; alii denique cognitionem possibilium uel plus iusto exaggerare, uel etiam infra dignitatem deprimere conati sunt. Operae igitur pretium fore, existimamus, si paulo accuratius in has diuersas philosophorum sententias inquirimus, quidque in iis ueri ac certi, quid uero falsi ac dubii, nobis uideatur, pro uirium nostrarum modulo, exponimus.

## §. II.

Philosophiam autem possibilem dum tibi, B. L., sistimus, noli cogitare, ac si statueremus, philosophiam nil, nisi possiblem, ambitu suo complecti, totumque eius obiectum ad possibilem, stricte dictorum, cognitionem commode referri posse. Hoc enim foret philosophiam reddere incertam et dubiam, maximamque cognitionis nostrae partem, quae sensu et experientia innititur, ex ea eliminare. Multo minus per philosophiam possibilem, cum S. Reuer. Dn. LANGIO in der Entdeckung der falschen und schädlichen Philosophie Sect. I. Cap. II. num. 8. ad §. Met. Wolff. 572., intelligimus scientiam fieri ac rerum fatalium. Repugnat enim hic conceptus non solum ipsi possibilitatis notioni, uerum etiam adhuc ei probandum erit, quod Celeb. WOLFFIVS, quando Philosophiam, per scientiam possibilem, describit, nihil aliud, quam scientiam fieri, introducere uoluerit. Sed, cum infra pluribus de eo dispiciendum erit, scias, quod nos per philosophiam possibilem hoc loco nihil aliud intelligamus, quam eam de rebus possibilibus cognitionem, quae firmis et sana ratione probatis principiis innititur. Nec putamus, quenquam in malam partem nobis interpretaturum, quod uocabulum philosophiae hic adhibuerimus. Proposito enim nostro non solum hoc maxime conueniens ac accommodatum uisum est, sed etiam, cum omnes ueritates, quas Philosophia tradit atque inculcat, ita comparatae esse debent, ut ex principiis sanis, sobriis, rectaeque rationi congruentibus, demonstrari possint; sic nulli dubitamus, quin in specie hoc loco ea de possibilibus applicari possint, quae in genere de omnibus ueritatibus philosophicis, quibus tota philosophia absolvitur, enunciari et solent et debent. Accedit, quod nonnulli, nescio, quid monstri per Philosophiam possibilem sibi imaginentur, hocque uocabulo, non nisi, quam ad illudenda aliorum in Philosophia cogitata, usurpent, quum tamen uocabulum non solum in se innocuum, sed et rebus, de quibus agitur, saepissime responderet.

## §. III.

Putat uero *Celeb. LEYSERVS in Examine Philosophiae Wolfenae §. II.*, cognitionem possibilium ualde esse inutilem. Quod si ita sese haberet, operam et oleam perderemus, si uel minimum temporis spatium, cognoscendae huius doctrinae causa, infumeremus. Sed alia animo nobis sedet sententia, quamque, ut paucis exponamus, necesse erit. Negari quidem non potest, quod Scholastici, uti totam philosophiam, sic etiam hanc imprimis philosophiae partem, multis tricis atque quisquibus inuoluerint ac obscurarint. Huc enim refero, quae disputata passim apud eos uides: An possibile a potentia actiua, an uero passiuu dicatur? an DEVS possit omnia possibilium, ita ut non exhauriat suam potentiam? an rectius sit, dicere: DEVM hoc non posse *facere*, uel hoc non posse *feri*? an certum datur possibilium modi? et quae huius generis plura apud SVARETZIUM, sententiarum Scholasticarum compilatorem, in *Disse. Metaph. Disp. XXX. Sect. XVII.* occurrunt. Sed, prouti hodie non die longe alia philosophiae facies est; sic etiam philosophi in inuestiganda possibilium natura, non ad ea progrediuntur, quae nulla humana sapientia sciri atque cognosci possunt, uerum in iis subsistunt, de quibus ex indubitatis fundamentis, certi aliquid pronunciarum potest. Exerit autem sese usus cognitionis possibilium praesertim in eo, ut primo discamus, quod sapientius in inquirendis ueritatibus philosophicis ultra possibilitatem, per intellectus nostri imbecillitatem, uix progredi queamus. Adhaec, ea nos deducere potest non solum in admirationem sapientiae, sed et omnipotentiae diuinae. Per sapientiam enim infinitam DEVS omnia omnino possibilium cognoscit. Per potentiam uero suam omnia possibilium etiam in actum deducere potest. Sobria denique possibilium scientia execrandam foeditatem perniciosissimi Fatalismi et Spinosismi, tam aperte ante oculos ponit, ut quilibet, qui sanae rationis usum non pernit



nitus eiuare uult, eam maximopere detestari debeat. Taceo alios usus, quos Celeb. BÜLFFINGERVS in *Dilucid. Philosoph. de DEO, anima et mundo Sect. I. Cap. I. §. XLI.* partim commemorat, partim etiam ex ipsa tractatione innotescent.

## §. IV.

Discrepant inter sese Philosophi in determinanda ac definienda Possibilium natura ac indole. Alii ad obiectum, siue res possibiles magis, quam ad causam, possibilia producentem, respicientes, definiunt possibile eum Ill. LEIBNITIO in *Meditat. de Cognitione ueritatis et ideis, quae in Act. Erud. Lips. A. 1684. pag. 540.* extant, per id, in quo nihil incompatible esse scimus. Quo et pertinet ista definitio ab HOEISELIO nuper in *Doctrina Philosoph. de Ideis Cap. I. §. 67.* tradita, ubi, *Est possibilis idea*, inquit, *quam natura rei, una cum attributis suis considerata, admittit.* Alii e contrario, non tam ad res producendas, quam ad causam producentem, attendentes, id possibile nominant, quod per potentiam, siue finitam, siue infinitam, fieri potest. Superest communis illa et omnium generalissima possibilitium descriptio, quaeque non solum antiquioribus, sed etiam recentioribus quibusdam Philosophis, inprimis Celeb. Dn. WOLFFIO, sese, non una de causa, commendauit. Scilicet, hoc iis possibile nominatur: quod nullam inuoluit repugnantiam. Fatendum est, quod, si laxitatem huius definitionis respicimus, non solum priores istas sub se comprehendat, prouti hoc a Praecl. Domino SCHLOSSERO in *Disp. Epistol. ad Dominum HOEISELIVM §. IX.* docte non minus, quam solide et modeste, iam monitum fuit; sed et tam late pateat, ut uix conceptus magis abstractus et uniuersalior excogitari poterit. Videtur tamen difficultate aliqua laborare, quae ex adhibita uoce repugnantiae, uel contradictionis, oritur. Repugnantiam siue contradictionem uulgo dicimus, quando duo de una eademque re conceptus sese inuicem tollunt, ita, ut posito uno, necessario alter locum habere

habere non possit. Iudicamus igitur ut plurimum repugnantiam uel non-repugnantiam ex nostro conceptu. Nec male; si nempe uersamur circa ueritates necessarias, aut res in sensus incurrentes. Tantum enim abest, ut tunc duo contradictorii conceptus simul ueri esse possint, ut alter non sine absurditate aliqua, uel statueretur, uel admitteretur. Norunt omnes, bis duo esse quatuor; illamque ueritatem, auditis modo terminis, quilibet admittit. Quod si quis uero statueret, bis duo non esse quatuor, sed esse tria uel septem, nonne eiusmodi hominem merito pro mente capto haberemus? Noli uero ex eo concludere, conceptus nostrum in omnibus perceptione remotis, normam repugnantiae et non-repugnantiae esse posse. Constat enim quotidiana experientia, quod, uti conceptus mortalium de plurimis rebus uarii sint atque diuersi; sic etiam nonnulli propositiones quasdam pro possibilibus et ueris habent, quas tamen alii, ut falsas et impossibiles, reiciunt. Caue praeterea, ne statim contradictoria uel repugnantia iudices infinito intellectui, quae tuo finito intellectui, ita uidentur. Sunt omnino multa, quae, si ex nostro conceptu iudicari debent, impossibilia propter repugnantiam, dicimus, quae tamen, ratione diuini intellectus, nihil repugnans in se continent. Et, si illa omnia dicerentur DEO impossibilia, quae non a parte rei repugnantiam inuoluunt, sed solum repugnant lumini intellectus nostri, tum multa essent impossibilia, quae de facto nouimus esse in mundo, per miraculosas DEI actiones, et in mysteriis, ut SCHEIBLERVS *Lib. II. Cap. III. §. 575. Op. Metaph.* loquitur. Nec dissentit B. CALOVIUS in *Metaph. Dia. pag. 456.* quando, Cauendum, inquit, ne iudicetur statim impossibile, quod noster intellectus apprehendere nequit, qui plane est improporcionatus ad infinitam potentiam adaequate cognoscendam. Et intellectus noster non est mensura mensurans impossibile, sed potius mensuratur ab illo. Non enim quia intellectus noster cognoscit impos-

impossibile, ideo tale est, sed quia alias impossibile esse praesupponitur ab eo, etiam ita cognoscitur. Non obiecta ab intellectu nostro, sed intellectus ab obiecto pendet.

## §. V.

Vt autem clarius pateat, quid de communi et recepta hac possibilitatis notione sentiendum, observandum est, quod philosophi duplici in respectu possibile aliquid dicant. Vel enim possibile contradictorie opponunt τὸ impossibili, uel etiam possibile τὸ actuali contradistingunt. Prior ille significatus eo receptor est, quo crebrius ab omnibus Metaphysicis in Systematibus ac compendiis traditur. Hi enim, quando de ente commentari incipiunt, primo statim loco istud in possibile et impossibile distingunt. Quo iure, atque quo fundamento, aliis diiudicandum relinquimus. Interim non nescimus, quod SCHEIBLERVS, sui temporis acutissimus Metaphysicus, ea de causa TIMPLERVM, cuiusque SCHOLIASTEN GOELENIVM reprehendat, quod impossibilitatem etiam inter affectiones entis referant. Verba eius haec sunt: Quod impossibilitas affectio entis sit, opinatur TIMPLERVS *Lib. II. Metaph. Cap. VII.* eiusque SCHOLIASTES GOELENIVS, ibid. ubi per possibile et impossibile ens distingunt. Male; quia impossibilitas est quid repugnans essentiali. Nota enim essentiali est, non involuere repugnantiam, unde concludimus, non esse entis: hominem sine anima; DEVM creatum; Hircocerum; quod singula implicant contradictionem, et sic sunt impossibilia. Quod autem dicit repugnantiam ad ens, quomodo adhuc dicitur affectio entis? *Vid. Metaph. Lib. I. Cap. III. Art. IV. Quaest. 3.* Posteriorem acceptionem, qua nempe τὸ possibile τὸ actuali contradistinguitur, vulgares Metaphysicorum libelli ignorant, nisi fortasse huc aliquo modo referre uelis, quae de actu et potentia apud eos occurrunt.

Est autem haec, non una de causa alteri praeferenda. Quando enim cum Scholasticis, Fatalistis ac professis Atheis, nominatim: DIODORO, *Philosopho Stoico*, P<sup>ETRO</sup> AB<sup>AE</sup>LARDO, WICLEFO, HOB<sup>BESIO</sup>, SPINOSA, aliisque huius furfuris hominibus, de quorum sententia Ill. LEIBNITIVS in *Theod. Part. II. §. 170. §. 199.* nec non Celeb. BVLEFFINGERVS in *Dilucidationibus §. 37.* latius exponunt, de possibilitate rerum, inter faniores Philosophos, tam antiquiores, quam recentiores, fuit disputatum, summa controuersiae huc redibat: An eae tantum res possibiles sint dicendae, quae aut iam existerunt, aut nunc existunt, aut necessario existiturae sint? De actuali igitur, *res* possibili contradistincto, disputabatur, negabantque illi, dari posse possibilia, quae non sint actualia, aut fieri debeant actualia. Ex quibus patet, eos confundere possibile cum actuali, non uero possibile cum impossibili. Possibilia enim dicebant, omnia existentia, impossibilia uero non-existentia. Vnde etiam nobis persuademus, quod illi, qui cum Fatalistis et Atheis hac de re congre<sup>di</sup> cupiunt, facilius illos e latibus suis protractari sint, si conceptum possibilem, rebus actualibus contradistinctum, quam impossibilem oppositum, contra eos urgebunt.

## §. VI.

Verum enim uero, dicitis: Male res possibiles rebus actualibus contradistingui. Omnia enim actualia esse possibilia, iuxta uulgarem Philosophorum canonem: Ab actu ad potentiam, (*affirmative*) ualet consequentia. Sed, pace tua, uideris mihi hic etiam non satis distinguere uocem possibilitatis in respectu ad actualitatem, et uocem possibilitatis in respectu ad impossibilitatem. Procul dubio actualia ea de causa possibilia dicitis, quia non sunt impossibilia, si enim impossibilia essent, prorsus non existerent. Hac in significatione libentissime concedimus, omnia actualia possibilia esse.

Quod

Quod si uero putas, actualia ratione existentiae suae, prout iam a causa aliqua sapiente, libera et potente sunt producta, possibilia tamen adhuc dici posse, tamdiu hoc inficiamur, quamdiu actum primum et actum secundum pro uno eodemque non habemus. Dicit soler a Metaphysicis actus primus, ipsa rei essentia, uel potentia et facultas, qua res agere aliquid aut pati potest; actus uero secundus, praesentia eius, cuius potentia tantum antea aderat. In actu primo igitur aliquid adesse dicitur, quando habitudo in aliquo adest, ut aliquid agere aut recipere possit. Sic dicitur u. e. in infante dari notitiam DEI, qua actum scilicet primum, quoniam habitudo, aut si mauis, non-repugnantia adest, ut istis propositionibus de DEO, in scriptura et natura reuelatis, simul ac ad aliquem rationis usum peruenit, assentiri, easque ut ueras et indubitatas admittere possit. Neutiquam uero ista DEI notitia in infante adest actu secundo, hoc est, ut iam in praesenti istis enunciatis: Datur DEVS, qui est omniscius, omnipotens, omnipraesens, etc. assentiat. Eodem modo sese res habet cum possibili et actuali. Dicit, possibile esse, ut ex exiguo aliquo semine in terram sparso, successu temporis procerca arbor oriatur, nondum ergo adhuc adest; post decursum multorum annorum ipsa arbor oculis tuis obiicitur, et reuera adest. An tum arborem hunc possibilem dicitis, an uero actualem? Ut a seicente atque rerum intelligente architecto amplum atque magnificum aedificium extruatur, possibile est, sed non hac de causa, aedificium statim extructum est. Manus operi adiuuere debent, et tum demum perficitur, atque sic ex statu possibilitatis in statum actualitatis peruenit. Plura de differentia rerum possibilem et actualium infra dicenda erunt, posteaquam de genuina possibili notionem, quatenus uero actuali contradistinguatur, constabit.

## §. VII.

Quemadmodum ergo duplici hoc sensu possibile aliquid dici potest; sic etiam necesse erit, ut distinctum de utraque acceptione nobis formemus conceptum. Fieri hoc poterit per definitiones. Describimus igitur possibile in oppositione ad impossibile, per id, quod nullam inuoluit repugnantiam. Hunc conceptum re et experientia fundatum esse, luculenter demonstravit Celeb. WOLFFIUS in *Comment. luculent. de Differentia nexus rerum sapientis et fatalis necessitatis Sect. 1. §. 7. add. Eiusd. Annot. ad Metaph. §. 12.* Ut autem eo clarius pateat, conceptum hunc sufficientem esse ad dignoscendum, quicquid uel possit, uel debeat possibile dici, si illi impossibile contradictorie opponitur, paucis, quomodo illud, quod uera impossibile est, concipimus, praemonendum erit. Dari in mundo multas res coexistentes, nemo negabit, nec negabit, haec coexistentia esse non solum spatio et loco, sed et figura, structura et natura, a se inuicem diuersa. Haec existentia et coexistentia dum existunt, non possunt non existere. Quicquid enim est, quando est, necesse est esse. Et non solum sensuum ueritatem, sed etiam omnem rationis usum et fundamentum euerteret, qui assereret, posse aliquid esse et non esse. Quod enim haec contradictoria sint, nemo non uidit. Porro, dum haec coexistentia non solum in se et sua natura sunt diuersa, sed ut diuersa ea etiam nobis repraesentamus et concipimus, quaeritur: an ea etiam possint esse non diuersa? uel quod idem est: an haec res, quoad essentiam, ita immutari possint, ut ex una fiat alia, salua interim manente prioris essentia? An DEVS etiam possit res existentes in essentialibus facere melius? Odiosa est, inquit Scaliger Excert. CCXLIX. haec quaestio nouo huic uulgo, qui in superficie atque superficialitate, quam ipsi simplicitatem uocant, intellectionem contemplationis nostrae posuerunt. Iraque curiosos nos uocant et Scholasticos, cum ipsi hoc, quod bene dicunt, amant sese nescire, quare

quare aut quomodo dicunt. Afinis similes sunt, qui triticum ad molas ferunt; recti tamen officii sui finem ignorant. Quaestionem si quis adfirmare uellet, non solum contra primum Philosophiae principium, quod *fieri non possit, idem simul esse, et non esse*, impingeret; sed etiam omnem certitudinem ex rebus ipsis rolleret. Per essentiam enim non solum una quaeque res habet, quicquid habet, sed praeterea etiam per hanc ab omnibus aliis rebus distinguitur. Adde, quod haec sententia DEI perfectissimae sapientiae, nec non immutabilitati voluntatis diuinæ maxime contraria uideatur. Exemplo res fiet clarior. Ferrum et lignum duae sunt substantiae, quae tam externa figura, quam etiam structura et indole, quam maxime inter se differunt. Contradictorium ergo dicis, lignum non esse lignum, aut lignum esse ferrum, quia hoc rationi et sensibus repugnat, adeoque ne DEVM per omnipotentiam suam istiusmodi quid efficere posse, arbitraris. Sed quaeritur adhuc: an ligno non possint communicari attributa ferri? Scimus, quod attributa fluant ex essentia alicuius rei. Qualis itaque est essentia, talia etiam sunt attributa. Non possunt ergo ligno attribui uel communicari attributa ferri, nisi simul isti communicetur essentia ferri. Ferri autem essentia ligno, ut ligno, communicari plane non potest, quia contradictorium est, lignum esse, et tamen simul esse ferrum, admittere attributa ligni, et simul etiam admittere attributa ferri. Noli autem ex hoc concludere, nos negare, *lignum mutari* posse in ferrum. Hoc enim si asserere quis uellet, limitibus circumscriberet omnipotentiam DEI, quae ea etiam facere potest, quae nec scimus, nec intelligimus. Hoc est, quod asserimus; lignum in ferrum per omnipotentiam DEI mutatum, non amplius esse lignum, sed ferrum, quia omnia attributa, quae ex essentia ferri fluunt, admittit. Nec hanc assertionem omnipotentiae diuinæ aliquid detrachere, ex eo patet, quia DEVS in prima omnium rerum creatione, secundum perfectissimam suam sapientiam, omnibus rebus existentibus talem essentiam largiri nouit, per quam

non solum in esse suo conseruari, sed etiam ab omnibus aliis rebus satis superque distinguere se possent. Iam pone, DEVM essentiam alicuius rei alteri communicare uelle; Nonne hoc contra sapientiam et uoluntatis eius immutabilitatem, per quam in prima creatione omnes res in sua essentia dereminauit, esset? Haec itaque absolute impossibilia dicuntur, quae, ut Celeb. WOLFFIUS loc. supra cit. loquitur, ne DEVS quidem per omnipotentiam suam efficere potest. Nemo enim eandem ad ea extendit, quae simpliciter fieri non posse intelliguntur. Quo eum apprime consentiunt, quae habet GERARDVS de VRIES in *Exercitationibus Rationalibus, Exerc. XVIII. de DEO potente*: Respicit, inquit, diuina potentia, quaecunq; rationi perfectissimae haud repugnant, siue quorum ideam DEVS in sua mente gerit, qualia sunt absolute omnia omnino, quae concipi queunt, citra contradictionem, seu mutuam praedicatorum essentialium repugnantiam. Quae enim usque adeo incompatibilia sunt praedicata, ut intellectui ne quidem repraesentari possint, isthaec omnia a potentia diuina secludimus, ob ipsam eius perfectionem, quippe quae non sinit, eam cogitare ad instar bruti imperus. Possimus aliorum etiam Philosophorum testimonia magno numero hic excitare, qui absolute impossibilia non solum ea, quae contradictionem inuoluunt, uocant; sed etiam mutationem essentialium ad ea retulerunt, nisi sinistra lectoris iudicia metueremus, quod in re tam clara ac manifesta, ex auctoritatibus aliorum fidem sententiae nostrae conciliare, solliciti sumus, et quod non auctoritatibus, sed rationibus in Philosophia pugnandum sit. Instar somnium interim sit iudicium Celeb. SCHEBLERI, qui prae aliis in controuersis metaphysicis et soliditatem et aequitatem, addo etiam circumspectionem adhibuit: Hic *Op. Metaph. Lib. II. Cap. III. §. 309. pag. 150.* grauius pronunciat: Non potest DEVS facere rem unquamque meliorem in essentialibus. Essentia enim posita est in indiuisibili. Melioratio igitur in essentia cuiuscunq; non esset




esset, nisi per rationem essentiae, essentialiter nobilioris, priori: qualis esset, si lapis u. gr. acciperet essentiam intelligentem. Illa autem reuera non est melioratio, sed destructio essentiae. Proinde non potest DEVS rem ita manentem meliorare in essentialibus. Et, quoad hanc partem, recte loquitur SCALIGER de PLANTIS Lib. I. p. 142. Classes, inquit, et gradus, constituit DEVS, et attribuit suam cuique. Quod uero praeter haec est, monstrum est. Quid enim esset arbor, si loqueretur? Haud profecto esset perfectior. Est enim id praeter illius genus. Non esset autem id, quod esset. Itaque actio, tametsi perfectionem arguit animalis, lapidi tamen nulla est perfectio.

§ VIII.

His ex dictis, quid possibile dicendum, quilibet facile intelligere potest. Scilicet omne illud, quod non est impossibile, et contradictionem inuoluit, nec cum essentis rerum pugnat, est possibile. Nonne enim unum idemque est? an dicas: possibile est, quod non est impossibile, an uero, cognito iam, quid sit impossibile, possibile dicas, quod nullam inuoluit contradictionem uel repugnantiam. Numerum possibilem, aut quid, et cur aliquid possibile sit, ut indicemus, non a nobis desiderabis, siquidem sese extendit ad omnes omnino res, siue acta iam existant, siue non existant. Eam enim ob causam uel existunt, uel existere possunt, quia illorum existentia nullam contradictionem inuoluit. Nec refert, an possibile tantummodo in hac significatione praedicare uis de rebus uel ueritatibus contingentibus, an uero possibilem numerum etiam extendas ad ens necessarium et ueritates necessarias. Ut enim haec existant, necessario requiritur, ut nullam repugnantiam in se contineant. Quae interim contra hanc definitionem, quae negatiua est, communiter adferri solent, nolumus prolixè recitare.



petere, siquidem haec omnia a Praecell. Dn. SCHLOSSERO  
*loc. supra cit. nec non in Diss. de Cautione philosophica circa*  
*Definitiones, §. XXXII. fgg.* debite examinata et pererudite  
 discussa sunt. Sufficit, quod suppeditata a Celeb. WOLFFIO  
 obseruatio: Quod exposito contradictorie oppositorum uno,  
 alteri tribui possint characteres contradictorie oppositi, qui  
 que huic comperebant ut tali, remoueri debeant ab altero: ha-  
 bitenus firmo steterat, utpote quae non solum consensu uere-  
 rum Philosophorum, qui nihil aliud recepto illo Canone: Op-  
 positorum (*contradictorie*) opposita est ratio, praecipiebant, sed  
 etiam usu ipso comprobatur. Nulla alia enim de causa ueteres  
 dicebant infinitum, quod nullis finibus est circumscriptum, quam  
 quoniam de finito illis constabat, quod fines admitrat. Sim-  
 plex ideo nullis partibus constare, tradunt, quia ad compositi  
 naturam referebant, ut pluribus partibus, inter se unitis, gau-  
 deat. Et recentiores nullam proculdubio aliam rationem ha-  
 bent, quare necessarium deseribant per id, cuius contrarium in-  
 uoluit contradictionem: quam quia res contingentes aliter  
 etiam esse possunt, et contrarium eius non inuoluit contradi-  
 ctionem. Bonum dicitur iis, quod statum nostrum reddit perfe-  
 ctum, quia malum eum reddit imperfectum. Alia huius generis  
 plura exempla in Philosophia passim occurrunt. Ut adeo  
 non dubitemus, quin hanc obseruationem absolute ueram et  
 uniuersalem pronunciemus. Nec aliter etiam uerba WOLFFII  
 intelligimus, quando in *Annot. ad Metaph. §. 13.* Es ist nicht  
 schlechterdings inquit, eine jede Definitio negatiua zu vertwerfen:  
 Sie findet allerdings statt. &c. &c. &c. Ut proinde non constet  
 quid sibi uelit Celeb. HOHEISELIUS, quando contendit,  
 WOLFFIVM dixisse, definitionem negatiuam aliquando in con-  
 tradictoriis tantum adhiberi posse. Nullibi haec  
 uox legitur.



Wittenberg, Diss. 1737

W 20




f

56.







Q. D. B. V.  
DISPVATIO PRIMA  
DE

PHILOSOPHIA  
POSSIBILIVM

QVAM  
CONSENTIENTE AMPLISSIMA FACVLTATE  
PHILOSOPHICA  
IN ALMA VITEMBERGENSI  
PRAESIDE  
M. IOANNE GABRIELE  
KINDLERO

VISM. MEGAPOLIT.  
AD D. X. SEPT. M DCC XXVII.  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SISTIT AC SVBICIT  
IOANNES KRAGIVS

HÖRVPO-CIMBER.  
S. S. THEOL. CVLT.

VITEMBERGAE LITERIS VIDVAE GERDESIAE